

**Dissertatio medica inauguralis de tenesmo ... / Eruditorum examini subjicit
Richardus Milnes.**

Contributors

Milnes, Richard, active 1751.
Oudendorp, Frans van, 1696-1761.

Publication/Creation

1751

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qf5mdr3b>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

9

D I S S E R T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S
D E
T E N E S M O.

Q U A M
A N N U E N T E D E O T E R O P T . M A X .

Ex Autoritate Magnifici Rectoris

D. FRANCISCI VAN OUDENDORP,
HISTORIARUM ET ELOQUENTIÆ PROFESSORIS.

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

*Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis, ritè
ac legitimè consequendis,*

Eruditorum Examini subjicit

R I C H A R D U S M I L N E S ,
A N G L U S .

Ad diem 7. Maii 1751. hora locoque solitis.



L U G D U N I B A T A V O R U M ,
Apud G E R A R D U M P O T V L I E T , 1751.

DISSERATO MEDICA
INGURAE

ОМСЕНЕТ

ХАМ ТО ЛЕГ ОДА ЭТИКОНИА

2005-2006学年第二学期

D. FRANCISCI VAN OUDENORP,
HISTORIADOR ET ECOGENITAE PROFESSORIS
NEC NON


The New-York Academy of Medicine

Summae in Medicina Historia & Physiologiae, etc.
ac Medicinae conuersariis

RICHARDUS MILNE


• 3 0 3 0 8

1. *प्राचीन विद्या*. प्राचीन विद्या के अधीन विद्या का अर्थ है।



— МУЛОНЧАТКА — ИМУСКЭУА

ГЕЯДЖА ТОТАЛІТІ · 1921




DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

TENESMO.



enesmus constans est ad desiden-
dum conatus in quo nihil vel per-
paucum , quidpiam mucosum ,
subcruentum , purulentum vel ex
hisce mistum ejicitur.

Pro parte primariò affecta dif-
fert hic morbus : aliis symptomaticus , aliis
idiopathicus est ; hic a proprio Intestini Recti
vitio , ille a labe partium vicinarum oritur , uti
postea clarius patebit .

A 2

Cum

Cum ad alvum in statu sano exonerandam
necessè sit ut fæces alvinæ ad extremum Recti
vi peristalticâ propulsæ, mole, pondere vel acre-
dine, ejus fibras irritent indeque levatores ani,
diaphragma, & musculi abdominales ex con-
sensu contrahantur, ut assidua fiat egerendi cu-
piditas, constanti in extremo Recto irritatione
opus est.

Ex his apparet, quod omnes causæ, quæ ir-
ritationem in Recto indefinenter producunt, Te-
nesmum remotè parient. Has ordinis gratiâ ad
duas classes satis commodè referre possumus. 1. cau-
sæ quæ in cavo Recti vel in ejus fibris hærent,
Tenesmum idiopathicum inducentes. 2. cau-
sæ extra Rectum sitæ, quæ Tenesmum Sym-
pathicum gignunt.

Inter causas Tenesmi idiopathici enumeranda
est muci intestinalis inopia. Ex Anatomicis no-
tum est internam intestinorum superficiem, quæ
ex papillis nervosis tota fere constat, muco ex
glandulis secreto obliniri, sicque ab acrimonia
vel asperitate fæcum præterlabentium defendi.
Si hic mucus Rectum investiens a quâcunque
causâ abradatur, ut a nimio purgantium vel
clysmatum usu, fibræ ejus sensiliores evadent,

&

& cum partibus fæcum acribus omnino obnoxiae sint, nimis facile convellentur. Idem in vesicâ urinaria sœpissime contingit, cuius muco deterso oritur urinæ ardor unâ cum molesta stranguria.

Mucus Intestinalis acrimoniâ modò peccans, hunc morbum producere potest. Huic causæ fortasse tribuendus est Tenesmus qui diarrhœas, dysenterias comitari vel sequi consuevit; in his morbis enim totus intestinorum tractus acribus humoribus scatet. Sydenhamus (*a*) in historia constitutionis epidemicæ quæ dysenteriis maxime favebat, observat, dysenteriam tunc temporis regnantem in Tenesmum haud raro defivisse, quem reliquiis materiæ morbificæ a superioribus intestinalis in Rectum detrusis ascribit.

Originem debet hoc malum aliquando inflammationi Recti. Omnis corporis pars, inflamata, sensu exquisitiori ob fibrarum summam tensionem pollet & impressiones ut ut debiles vividius percipit. Rectum itaque inflammatione correptum acutius sentiet, ac a materiis in eo contentis perpetuas patietur irritationes quæ Tenesmum excitare valent.

Ulcus

(*a*) Vid. pag. 180.

Ulcus Recti, fistulave ani hunc morbum sæ-
penumero pariunt: ex his materia purulenta in
cavum Recti effluens, podicem acrimoniâ suâ
vellicat, & ad alvum deponendam incessanter
follicitat. Sic pus ex vomica pulmonali in Aspe-
ræ Arteriæ ramos emanat, fibrasque hic loci sen-
siles irritat, unde tussis Pthiforum perpetua.

Ortum ducere potest a vermis in Recto la-
titantibus, qui vice stimuli fungentes, morsi-
bus subsultibusque tunicas Recti impetunt & ad
frequenter contractiones eas provocant; Hinc
erit constans dejiciendi cupiditas. Vermes in
Infantibus (quorum compages tenera & admo-
dum mobilis est) diras universi corporis con-
vulsiones nec non insultus Epilepticos quotidie
producere observantur: non mirum ergo est,
hos in Recto congestos Tenesimum efficere
posse.

Hæmorrhoides hujus mali causa multoties re-
pertæ sunt. Hæ si magnopere tumeant, aut ve-
hementer doleant, Recto molestias creabunt,
uti facile patet, motusque vibratorijs ibi susci-
tabunt.

Sic de præcipuis Tenesmi idiopathici causis
egimus, pauca de causis Sympathici dicenda
restant.

A

In

In hac classe recenseri imprimis merentur, Vesicæ calculus uterique prægnatio. Calculus sua acutie vel pondere fibras Vesicæ distrahendo divellit, & ob harum partium consensum, Rectum simul affici solet; sic calculo laborantes Tenesmo raro vacare deprehenduntur. Fætus in utero contentus, Rectum utero contiguum premendo proritat unde gravidis frequens occurrit hoc incommodum, præsertim sub gestationis finem. Præterea prægnantes Hæmorrhoidibus ex eadem causa, ex uteri nempe in Rectum pressione ortis, infestantur.

Tenesmus etiam oriri potest a disuria, ischuria, stranguria, inflammatione vel ulcere Vesicæ, denique ab omnibus hujusce vitiis. Namque talis est Rectum inter & Vesicam nexus, quod cum se invicem nunquam non consentiant.

Hic morbus labis hystericae vel hypochondriacæ frequens est effectus. Hi, quos excruciat hoc malum, spasmodicos motus a fluxu spirituum Animalium inordinato oriundos, in variis corporis partibus experiuntur; si pulmones ingruat morbi atrocis impetus, respirandi difficultatem tussimque asthmaticam affert; si re-

renes adoriatur, dolorem Nephritidem maxime referentem, creat; ut verbo dicam, quamcumque corporis partem aggreditur, morbos huic parti proprios, probe aëmulatur, teste Sydenhamo (*a*). Vis ejus in rectum decumbens Tenesnum efficiet, qui eo usque durat donec solvitur sponte vel artis auxilio spasmus Recti constrictorius.

Multæ fortasse sunt aliæ causæ Tenesmi tam symptomatici quam idiopathicæ, quin supra memoratae cæteris longe frequentiores in Praxi observatae sunt, ad effectus adeo hujus morbi enarrandos accingemus nos.

Affiduum adest ad egerendum incitamentum, a perpetuo Recti stimulo profluens: Mucus a Recti parietibus abrasus speciem ramentorum præ se ferens medicos nonnunquam fallit; Observata medica tamen docent tunicam villosam dictam humoribus copiosis hic affluentibus maceratam vel eorundem acrimonia erosam quandoque secedere & ramentorum specie in dejectionibus alvinis comparere (*b*): materia excreta striis sanguineis variegatur, ruptis vel detritis aliquot

(*a*) Vid. Epist. de Morb. Hyster.

(*b*) V. Tulp. lib. 3. cap. 17.

vasculis per tunicas Recti decurrentibus: si ad-
sit fistula ani vel ulcus Recti, pus suppeditans,
mucus pure commixtus excernitur: podex acriter
dolet: dolor dejectionis tempore, ob violentam
partis affectæ concussionem, maxime intenditur:
Anus, morbo diutius excurrente, tædio affectus
procidit: corpus lente exhaustur, facies pallida
collabitur, prosteruntur vires, quæ omnia symp-
tomata non tantum ex inanitione oriuntur, ve-
rum etiam inde quod frequenter alvum excer-
nere coactus, æger, delassatur & somnum cape-
re nequit; *fessus enim homo ex continua exfur-
rectione insomnis fit* Hipp. Prognost.: a magna
harum partium conquassatione inflammatio (hu-
jus mali effectus æque ac causa) nasci potest,
quæ interdum ad suppurationem tendit, lenta
dein febris cum tabe totius corporis conjuncta
ægrum depascitur. Si Tenesmus, nullis induciis
datis, violente urgeat, diuque duret, febre, &
convulsionibus stipatur, in mortem abeuntibus.

Hic morbus cognitu facilis, a Dysenteria
cum qua sæpe complicatur, discrepat in eo quod
tormina quæ in Dysenteria per totum Intestino-
rum decursum porriguntur, in Tenesmo ad Re-
ctum modò referri solent; materia etiam excre-
ta

ta in priori longe copiosior est quam in posteriori; insuper desidendi cupiditas in Dysenteria minus frequens, in Tenesmo fere nunquam cessat.

Causæ ejus investigatu sæpius satis difficiles sunt, eas tamen assequetur plurimum medicus si ad antecedentia & comitantia animum diligenter adhibeat. An a vesicæ calculo, vel graviditate, an ab Hæmorrhoidibus, ab inflammatione aut ulcere Recti vel ani fistulâ, an a morbo Hysterico producatur, signis quibus indicantur hæ affectiones, liquido constabit. An ab ascaridibus vel lumbricis, dignoscetur, a vermium ejectione vel ex eo quod ager verminationi ante obnoxius fuerit. Tandem si omnium aliorum affectuum signa abfuerint, & aliunde se prodant nimiæ humorum falsedinis indicia, tunc ab acrimoniâ muci Intestinalis Tenesmum pendere verismile videtur.

Molestiâ tædioque plenus hic morbus sæpe evadit, quin si in principio sit, & ab aliqua levi causa pendeat, per se periculo prorsus vacat. *Tenesmum facile tolli & nunquam per se hominem jugulare afferit Celsus (a).* Verum si al-

(a) Lib. 4. cap. 19.

tas egerit radices & a causis gravissimis natales duxerit, nimirum ab Inflammatione Recti aut ejus ulceræ, ægri in periculo minime contemnendo versantur. In mulieribus prægnantibus, si in longum trahatur, abortum minitatur. Sic (a) apud Hippocratem; *mulieri uterum gerenti si superveniat Tenesmus, abortum facit.* Musculi enim fæcum expulsioni destinati, ad fætus exclusionem inserviunt, validis itaque musculorum abdominalium & diaphragmatis inter excernendum nixibus uterus fortiter pressus, fætum immaturum præpropere excutere possit. De Tenesmo, qui dysenteriam subsequitur, ita loquitur Sydenhamus (b), *licet adultis & grandevis exitialis sit, Infantibus perbenignus repetitur, qui per aliquot menses ab eo afficiuntur, modo res naturæ permittatur.*

Causis, effectibus, diagnosi & prognosi hujus morbi sic breviter expositis, restat ut pauca ejus medelam spectantia adhuc proferamus. Hanc pro causarum diversitate variare oportet. Si ab Inflammatione Recti ortum ducat, vœnesectio pro necessitate repetita, cæteraque medicamina

(a) Aph. 27. S. 7.

(b) Vid. Sydenh. Op. 180.

inflammationi dicata, curationem absolvent; si a Recti ulcere, suffimigia, clysmata, suppositoria ex abstergentibus, consolidantibus, adstringentibus indicantur: si a fistula ani, chirurgicâ operatione opus est; si a vermibus, amara, oleosa, mercurialia, venerea purgantia exhiberi possunt: si ab Hæmorrhoidibus, balnea, fomenta, cataplasma, Hæmorrhoidum sectio, vel earum frictio cum foliis ficuum egregiè juvant; si a muci inopia, humectantia, demulcentia, anodyna, convenient; si symptomaticus sit, & a vesicæ affectionibus enascatur, in usum revocanda sunt remedia, quæ his morbis debellandis ideonea sunt; si morbi Hysterici proles sit, antihystericis, opiatis optime compescitur.

Tenesmus, qui dysenteriæ supervenit, hâcque cessante interdum diu durat, medendi methodum sibi propriam exigit: topicis parti dolenti applicatis, minime cedit, quin horum usu sæpe exasperatur, uti observat Sydenhamus in loco ante citato, qui multiplici experientiâ compertum habuit, hanc Tenesmi speciem, vires ægri restaurando, optime curari. Hoc fit, usu diætæ analepticæ, atque cardiacorum quæ robur ægro subministrant; quo redeunte, Tenesmus sponte se surripit..